

militiam confluerent, modo exterorum diuturno dominatu cunctis, vel beneficiis devinctis, vel spe illectis, vel metu retractis, segnius nomina darent; quo pacto huic incommodo occurreretur, sedulo inter se, variis adhibitis consultationibus, disceptabant; cum Franciscus Vaudemontius, Caroli Lotharingæ Ducis filius, per Herculem Verdelium, Cremensem, Hierosolymitanum equitem, qui, ut Barenfis Ducis, Caroli majoris natu filii, cum Henrici Galliæ Regis sorore connubium Senatui significaret, Venetias legatus accesserat, egregiam Reipublicæ voluntatem atque operam detulit; in id quoque Ferdinando, Magni Hetruriæ Ducis sororio, adhibito. Ea res cum Lotharingorum ditionibus atque imperio, tum amicitiiis & clientelis, Vaudemontiique ipsius virtute ac prudentia ejusmodi visa est, ut merito ad eam animum adjiciendum Patres arbitrarentur; atque eo libentius, quod publicis monumentis percelebris adhuc memoria servaretur, superiore sæculo bello Ferrariensi eximiam a Lotharinga familia Reipublicæ operam navatam, atque ob id in nobilitatis album adscriptam. Multos Franciscus Vaudemontius, in Gallia grassante bello, fortes ac strenuos milites sibi adjunxerat; complures beneficiis ac liberalitate devinxerat, ut, hinc Gallis ac Belgis, inde Germanis Lotharingia septa, præter indigenas, undique personante classico, bellatores quotquot vellet, elicere ac cogere, facillime posse censeretur, quos quindecim dierum tantum itinere in Italiam effunderet. Jacobo Fuscarenno, Marcio Procuratori, qui tunc in majorum præconsultorum numero erat, & continentis Sapienti, cui militiæ cura concredita est, injunctum, ut, Verdelio audito, ad Senatum referrent. Id cum sedulo præstitisset, Vaudemontius in Reipublicæ militiam est adscriptus; transalpinarumque copiarum imperator creatus; iis conditionibus, ut, jubente Senatu, Gallorum, Lotharingorum, ac Vallonum quina peditum millia, Helvetiorum quatuor aut sex, Germanorum totidem, equitum quatuor millia daret: cum omnibus hisce copiis, aut earum certa manu, si ita Senatui placeret, ipse in Italiam descenderet; aut partem exercitus, quæ octo peditum millium numerum non excederet, ejusque dimidium Galli, Lotharingi, Vallones, dimidium Helvetii ac Germani conficerent, ductoris

*Franciscus
Vaudemontius
transalpinorum
militum
imp. a Venetis
dictus.*